

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

M.A. Level Medieval Latin Examination

April 13, 1992

Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. Bohemond prepares for a Turkish attack (Gesta Francorum)

Itaque audiens dominus Boamundus innumerabilem gentem Turcorum uenientem super nos, caute uenit ad alios, dicens: 'Seniores et prudentissimi milites, quid facturi erimus? Nos namque tanti non sumus, ut in duabus partibus pugnare ualeamus. Sed scitis quid faciemus? Faciamus ex nobis duas partes. Pars peditum remaneat iugiter custodire papiliones, et quibit nimis obsistere his qui in ciuitate sunt. Alia uero pars militum nobiscum ueniat obuiam inimicis nostris, qui hic hospitati sunt prope nos, in castello Areg ultra pontem Farreum.'

Sero autem facto, exiit e tentoriis uir prudens Boamundus cum aliis prudentissimis militibus, iuitque iacere inter flumen et lacum. Summo diluculo iussit protinus exploratores exire, et uidere quot sunt Turcorum turmae, et ubi sint, aut certe quid agant. Exierunt illi, coeperuntque subtiliter inquirere, ubi essent acies Turcorum reconditae. Viderunt tandem Turcos innumerabiles segregatos uenire ex parte fluminis diuisos per duas acies; maxima uero uirtus illorum ueniebat retro.

2. Two miracles of St. Fechin

Quodam tempore cum sanctus uir vna cum suis monachis pro quibusdam negociis de monasterio exirent, et, peracto negocio, ad monasterium properarent, sole usque occasum tendente, diem sufficere non credebant. Erant enim viri Dei prolixitate itineris et debilitate corporis fatigati; et ideo ad monasterium ante noctem uenire dubitabant. Quid plura? Is, cui omnis creatura obedit, et ipse uoluntati suorum per omnia paret, solem in gradu suo fixit, quousque uiri, angelico ducatu comitati, ad suum monasterium sine grauamine peruenerunt.

In monasterio sancti uiri fuit ecclesia, in cuius cimitherio fuerat magna lapidicina, que in tantum terram cimitherii occupauerat, ut pro sepeliendis corporibus locus deficeret. Cunctis uero qui aderant super hoc conquerentibus, ad sanctum uirum accedunt, incommodum tam molestum exponunt, remediumque deuote exposcunt. Compaciens igitur pius pastor querimoniis suorum fratrum, conuertit se ad consuetum oracionis deuote patrocinium, et exauditus est uir Dei pro sua reuerentia; et ingens petra a terra mox absorbetur, et locus aptus pro sepultura a Deo ibi disponitur.

3. On the Care of the Sick (Benedictine statutes, 1343)

Humane tractandi sunt qui corporis infirmitate laborant, quia non solum illis, sed Christo seruitur in illis, ipsomet dicente: quod uni ex minimis meis fecistis, michi fecistis. Volentes igitur ut omnis eis exhibeatur humanitas, statuimus ut in singulis monasteriis prior vel supprior, et coquinarius, seu ad hoc alius deputatus, singulis diebus ante primam horam diei visitent infirmos, et iuxta singulorum indigencias unicuique provideant, seu provideri faciant, prout opus erit.

Infirmi autem qui cibis refectorii vesci non possunt, cibis eorum infirmitati convenientibus sint contenti, de quibus quidem cibariis eis prout indiguerint volumus provideri. Medicinalia eciam iuxta peritorum consilia medicorum eis precipimus exhiberi.

Statuimus insuper ut nullus infirmus ab infirmorum mensa communi se subtrahat, nisi tanta corporis invaliditudine sit detentus, quod ad illam accedere nequeat sine scandalo vel gravamine corporis evidenti, illis dumtaxat exceptis, quibus ob eorum merita reverencia maior debetur, quibus in hac parte deferendum esse decernimus pro loco et tempore, prout prelati eorum viderint expedire.

4. The Merits of fasting (Rufinus of Aquileia)

Expulsi sumus de paradiso, quia non ieiunavimus: ieiunemus nunc, ut ad paradisum revertamur. Sed et ipsa omnis paradisi vita ieiunium est: nusquam ibi carnes decoquantur, numquam vini liquor premitur nec alia quibus voluptati corporis deservitur; sed est ibi cum angelis vita communis, cum caelestibus virtutibus sors aequalis. Ille denique ipse scientiae cibus, quoquo modo ibi nominatur, ieiuniis alitur et per abstinentiam ministratur. Vide ieiunando Helias quo ascenderit. Vide Eva quo descenderit manducando. Sed et utriusque operis auctores et consiliarios intuere: ibi ad manducandum auctor et consiliarius serpens est, immo diabolus in serpente; hic ut ieiunans ascendat ad caelum, auctor est et monitor deus. Utamur ergo et nos hac via, qua rediri ad paradisum potest, et suspecta nobis sit illa via, quae expulit hominem de paradiso. Hanc teneamus, cuius aditum patefactum domini nostri Iesu Christi sponsione cognovimus dicentis ad latronem, cum et ipse simul penderet in ligno quia: *hodie mecum eris in paradiso.*